Et tandem *Sotus triplici loco relatus*, ait non esse confessionis sigillum, quando committens sub illo secreto non intendit omnia peccata fateri, sed illud unum: intelligitur tamen (ut bene docet *Enriq. l. 6. de pen. c. 21. n. 3. in commento, lit. R.*) quando non dicit accusans se tanquam judici.

7 II. Conclusio, conscius impedimenti ex solo auditu, si audiverit a persona fide digna, tenetur ea non denunciante, manifestare. Quia notitia ex auditu habita a fide dignis, est vera notitia, fidem faciens: potestque præsatus personam fide dignam, a qua denunciator audivit, citare, ejusque testimonium accipere. Sic *Nav. c. Inter verba, in 2. edit. corollar. 66. num. 299. & duplici seq. & sum c. 25. nu. 45. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 217. n. 9. & de ordine judiciario, c. 4. concl. 10. n. 12.* Secus autem est, si persona, a qua audivit, non est fide digna, levisque reputatur ejus dicto denuncians: ut bene docent *Nav. d. corollario 66. n. 292. & d. c. 25. nu. 46. Cordub. l. 1. quæstionarii, q. 43. dub. 2. §. Sexto quando, f. 348. col. 2. & sum. q. 64. ad fin. §. Et sexto caso, Nav. l. 2. de restit. in 2. edit. c. 4 par 2. dub. 10. num. 108. Gutier. l. 1. q. canon. c. 11. num. 71. Manuel de ordine judiciario, cap. 4. concl. 10. n. 12.* Similiter non tenetur denunciare, quia audivit, nec meminit, a quo audierit, vel audivit a persona nihil certum sciente. Sic *Nav. illo corollario 66. nu. 291.* Et addit ibi *n. 292. Cord. utroque loco citato*, esse consulendum huic audienti a non fide dignis personis, ut faciat illas testificari; quod reprobat *Nav. eod. n. 108.* eo quod si personæ non sint fide dignæ, manifesto periculo injustæ infamiæ reus exponitur. Verum putarem ego id consilium esse bonum, quando impedimentum non est infamatorium. Quia tunc nullum est periculum in ea manifestatione, forteque proderit, ut impedimentum detegatur.

8 Ultima concl. si conscius impedimenti occulti; novit contrahentes impetrasse dispensationem occultam pro conscientiæ foro, non tenetur denunciare. Quia eo tendunt hæ denunciationes, ut peccatum, matrimoniique nullitas vitentur, sed illi valide, & absque peccato possunt contrahere, & in foro conscientiæ perinde est, ac si impediti minime essent, quamvis eà dispensatio in foro externo allegato non prodesset: ergo non tenetur denunciare. Dixi, impedimenti occulti, quia si publicum esset, teneretur, juxta ea, quæ dicam disp. seq. num. 4.

9 Ad argum. propositum n. 1. constat ex dictis n. 2.

DISPUTATIO XIV.

An si Ordinarius petat a volentibus contrahere, an aliquo impedimento ligati sint, teneantur illi manifestare, quamvis occultum sit?

SUMMARIUM.

Proponuntur argumenta ad probandum non teneri, n. 1.
Tenentur manifestare, vel desistere a matrimonio: & idem de petenti ad ordines promoveri, 2.
An judex absque probationibus possit interrogare, non ad puniendum, sed ut alter impleat id, ad quod tenetur, eod. n. 2.
Defenditur practica interrogandi obtentes consanguinitatis dispensationem, an se cognoverint: & an illi teneantur respondere, 3.
Quid, si laborans impedimento occulto, obtinuit dispensationem in foro conscientiæ, an teneatur illud propalare Ordinario interroganti, 4.
Solvuntur argumenta, & enodantur c. Qualiter, & quando, de accusat. & cap. Quis aliquando, de pœn. disp. 1. num. 5.

Videtur hos contrahentes non teneri fateri impedimentum illud occultum. Quia judex inquirere nequit infamia non præcedente, *c. Qualiter, & quando, de accus.* ergo cum juridice non roget, minime tenebuntur fateri. 2. Probatur ex doctrina D. Chrysostomi, & habetur *a Quis aliquando, de pœn. d. 1. paulo post princ.* ibi, *Non tibi dico, ut te prodas in publicum.* 3. Ex doctrina *Barth. l. 2. n. 3. C. si servus, aut liberi. l. 10.* ubi docet, judici, infamem interrogatum an habeat aliquod impedimentum, non teneri vitium occultum fateri.

2 His non obstantibus dicendum est teneri fateri, vel desistere a matrimonio, quantumvis impedimentum occultum, & infamatorium sit. Probatur ex doctrina *Abbatis, cap. Contmebatur, num. 8. de sponsi. impub. & ibi Alexandri de Nevo n. 21. proposi. n. 6.* ubi docent, quotiescumque animæ periculum vertitur, posse exigi juramentum a reo, licet actor nil probaverit. Ut si Petrus petat ut Paulus juret aliquod debitum, quo sibi obligatum esse intendat, ergo cum hic versatur periculum animæ, ne impediti contrahant, Ordinarius absque præcedente informatione potest inquirere a contrahentibus de impedimento occulto. 2. Quia tenetur ordinandus interrogatus, pandere vitium occultum, quod reddit ipsum incapacem ordinis: ut si sit irregularis, vel ætatis defectum patiatur, aut ab ordinibus desistere tenetur: ut constat ex *c. Nisi cum pridem, de renunciatione, vers. Pergravi*, ibi, *Licet irregularitatem hujusmodi non potuerit subjacere*: ubi *gl. verb. Non potuerit*, idest, non debuerit de jure, tempore suæ examinationis. Et *c. Innotuit, de eleet. vers. Multa enim*, ibi, *Qui suum maluit confitori reatum, quam læsa conscientia thronum conscendere pastoralem*, ubi *gl. verb. Reatum*, idest, defectum, vel impedimentum: & ex Concilio Carthaginensi 4. & habetur *c. Ex pœnitentibus, 50. d.* ibi, *Deponatur, quia se ordinationis tempore non prodidit.* Et docent *Archid. ibi paulo post principium, super Gl. Concedit; Goff. sum. t. de tempore ordinand. n. 59. Host. c. pen. ad fin. de corpore vitiatis: Inn. c. Inquisitionis, n. 4. initio, de accus. Abb. c. Innotuit, n. 6. de eleet. & c. Sicitatus n. 14. de rescrip.* ubi *Felin. n. 8. vers. Limita sexto, Decius n. 43. Turrecr. d. c. Ex pœnitentibus, a. 1. n. 1. D. Ant. 3. p. t. 14. cap. 16. §. 13. Angel. Ordo 7 num. 1. Silv. Ordo 2. q. 2. Tab. Ordo 6. n. 1. fin. & Electio 1. q. 17. num. 18. Majol. l. 4. de irregularitate, c. 10. in princ. & n. 4. & l. 5. c. 33. n. 3. initio. Enriq. lib. 10. de sacr. ordinis, c. 18. n. 2.* ergo similiter volentes contrahere matr. tenentur manifestare impedimentum occultum, quod impedit, ne possint contrahere. Tandem probatur ex doctrina *Innocentii, c. 1. de post. prælat. n. 5.* quam amplectuntur ibi *Ant. n. 50. & Panor. n. 34* ubi inquit, *Quando sit inquisitio contra promotum, ut puniatur, tunc non licet absque infamia procedere*: & in hoc casu loquitur *c. Qualiter & quando, de accus. Quando autem contra promovendum ne promoveatur indignus, non requiritur infamia, sed debet superior ex officio inquirere, c. Cum nobis, de electione*: ergo cum in nostro casu Ordinarius non inquirat de impedimentis, ut puniat contrahentes, sed ne indigni contrahant, juste absque infamia, & alia informatione procedit, & consequenter tenentur ipsi propalare impedimentum, & quantumvis occultum, aut a matrimonio desistere, & ita tenet in propriis terminis *Enriq. l. 10. de Sacramento ordinis, c. 10. n. 2. in comm. lit. D.*

Hinc infertur, immerito *Salzedo prælic. c. 16. §. Unde merito*, damnare consuetudinem in tribunalibus Ecclesiasticis receptissimam, ut in matrimonialibus dispensationibus interrogentur contrahentes, an se carnaliter cognoverint, cum infamati de hoc minime sint, nec aliter constet: & addit in posteriori editione, cum *Nav. l. 4. con. 1 edit tit. de sponsa. consi. 2 fine, in 2. vero tit. de consa. co. 5. 10 fine*, ubi & refert Thomam quemdam correctorem sacræ pœnitentiariæ, contrahentes non teneri respondere. Ducuntur hi, quia non est necessaria ad dispensationis substantiam ea manifestatio. Sed (ut dixi) immerito, damnatur hæc consuetudo, quia dispensatio subreptitia est, tacita copula; juxta veriorem sententiam: ergo dum interrogat judex de copula, ut dispensationis valorem norit, licet occulta sit, juridice rogat: tenenturque contrahentes fateri, vel non uti dispensatione: siquidem interrogatio non eo tendit, ut illi puniantur, sed ut impediantur uti dispensatione subreptitia, & invalide contrahere. Ita docet *Manuel de ordine judiciario, c. 10. concl. 4. n. 4. fine*. Esset tamen vera doctrina illa, si interrogatio copulæ minime ad dispensationis valorem conduceret.

Dubitabis tamen, quid dicendum sit, si interrogatus de impedimento occulto, dispensationem impetrasset pro foro conscientiæ? Dic non teneri fateri impedimentum, quia judex, dum nulla est probatio, solum habet jus interrogandi, quo peccatum vitet, in hoc autem casu non peccant contrahentes: ergo dum impedimentum ita occultum est, ut plene probari non possit, non tenentur illud fateri: nec probatur plene unico teste: in enim solum plene probat, quando agitur de peccato vitando, ut dixi l. 1. disp. 71. n. 1. & 7. quod hic non contingit. Si tamen esset publica vox de illo impedimento, aut concurrerent alia requisita, ut dixi, juridice interroget, juxta tradita per *D. Th. 2. 2. q. 69. a. 2. & DD. ibi*, idque constaret volenti contrahere, teneretur fateri veritatem. Quia cum illa dispensatio nullo modo prosit pro foro externo, judex etiam conscius illius dispensationis, juridice interrogaret: ergo cum juridice roget, & non ex falsa præsumptione, tenebitur contrahens fateri, alias secluſa ignorantia daretur bellum utrinque justum. Pro hac parte in quantum affero eum, qui obtinuit dispensationem, non teneri fateri impedimentum, sunt *Fostiae. c. penul. ad fi. de corp. vitia. D. Ant. 3. p. t. 14. c. 16. §. 13. Silv. Ord. q. 2. Tab. Ordo 6. nu. 1. fine*, ubi dum asserunt teneri Ordinandum detegere impedimentum occultum, temperant, nisi cum eo dispensatum sit, & quamvis non explicent an ea dispensatio sit pro solo foro conscientiæ, at id videntur sentire: quando enim pro utroque foro esset dispensatio, res erat plusquam manifesta, & ita inepta videretur ea limitatio.

Ad 1. arg. ex propositis n. 1. constat ex dictis n. 2. ille enim textus loquitur, quando judex inquirit ad puniendum delictum: secus ubi ad vitandum tantum peccatum futurum. Ad 2. dico eodem modo, tantum enim *D. Chrysostomus* intendit non teneri peccatorem se prodere judici intendenti punitionem, ut veniam peccari obtineat: sed soli sacerdoti in foro sacramentali: non tamen intendit negare teneri aperire impedimentum occultum, quando judex non vindictam, sed vitare peccatum intendit. Ad 3. respondet *Abb. c. Scisitatus, n. 14. de resc.* doctrinam Bartholi accipiendam esse, quando impedimentum est tale, ut occultum non impediat exercitium, ut in infamia judicis occulta contingit: secus, quando impedit, ut contingit in irregularitate occulta, & impedimento occulto matrimonii.

DISPUTATIO XV.

Quale sit officium Ordinarii, & quale parochi, circa matrimonium: & qualiter se debeant habere, quando norunt extra confessionem impedimentum: & etiam quando norunt in foro conscientiæ dispensationem impetratam esse?

SUMMARIUM.

Quid debeat parochus facere circa alienigenas, volentes inire matrimonium, num. 1.

Quid, circa parochianos, nullo opposito impedimento, an indigeant licentia Ordinarii, 2:
Si opponatur impedimentum, an possit matrimonium interdicere, & de impedimento cognoscere, n. 3. Et ibi, quid importet verbum, constiterit.
Qua prudentia utendum sit, dum opponitur impedimentum, ad illud explorandum, vel cum petitur, feminam in loco tuto deponi, 4.
Quid, si contra priora sponsalia velit quispiam aliam ducere, an possit parochus assistere, 5.
Quid, si quisquam prius affirmet impediment. & postea neget, 6.
Quid si it, cui impedimentum sponsalium cum alia opponitur, affirmet, se ficte consensisse, & sint dispares contrahentes, 7.
Quid, quando parocho constat de impedimentis extra confessionem, & contrahentes illud negant, vel impedimentum est occultum, & publice petunt matr. vel fatentur verbi gratia, votum, & negant se illo obligari, quia ficte vouerunt, vel ex alia causa, refertur quædam opinio, 8.
Vera opinio non esse adhibendam fidem, & quid in juramento coacto, n. 9. Et ibi, dicere nemo præsumitur, quæ non habet in corde. Et quando aliquis fatetur delictum, cum circumstantia excusante, valet confessio quoad delictum, non vero quoad circumstantias.
Si votum, vel delictum ex sola confessione constet, an credatur dicenti se ficte consensisse, vel fatenti simul circumstantiam, 10.
An possit parochus publice petenti matr. si ipse norit esse impedimentum occultum, ministrare: & quid, de ipso Ordinario, vel de parocho ab Ordinario compulso, 11.
Quæ in animo alicujus latent, sola ejus confessione probantur, n. 12. juncto, n. 8.
Solvuntur argumenta, & explicatur c. Ex tenore, de tempore ordinandi an ob impedimentum occultum debeat aliquis repelli ab ordinibus, n. 12. juncto, n. 8.
Quid, si parochus, vel Ordinarius novit impedimentum, & pariter dispensationem imperatam esse in foro conscientiæ: opponuntur rationes pro utraque parte, 13.
Si nullus denuntiet impedimentum, potest Ordinarius, vel parochus dissimulare, 14.
Si aliquis denunciet impedimentum, non potest Ordinarius, vel parochus dissimulare, 15.
An contractum matr. dispensatione pro solo conscientiæ foro obtenta, separandum sit detecto impedimento in foro externo, n. 15. juncto n. 17.
Quid, si coram Ordinario, vel notario fateatur aliquis impedimentum, & simul dispensationem pro foro conscientiæ obtentam, n. 16. Et solvuntur argumenta, n. 17.
An possint aliqui arceri a matr. contrahendo, eo quod doctrinam Christianam ignorent, refertur opinio affirmans, n. 18. Contraria verior, n. 19. Et ibi, an liceat censuris compellere ad discendum eam.
Quando nullum opponitur impedimentum, an sit contrahendum matrim. in facie Ecclesiæ, & quid per faciem Ecclesiæ intelligatur, 20
Quid teneatur parochus interrogare, & quæ verba proferre, 21.
An teneatur habere librum, & quid in eo scribere debeat, vel quando alius de licentia parochi assistit matr. vel dum religiosi in novo orbe, vel alibi funguntur officio parochi: & an sit necessaria notarii subscriptio, 22.

1 SIt I. Concl. quando uterque contrahens, vel alter est peregrinus, vel alienigena, tunc nequit parochus eos matr. conjungere, donec rem ad Ordinarium detulerit, & ab eo licentiam obtinuerit: ut definit *Trident. sess. 24. de matrim. c. 7.* & dicemus hoc 3. l. disp. 25. num. 8. Ordinarii autem erit diligenti cura informationem accipere, an hi soluti sint, aut impedimentum aliquod habeant.

2 II. Concl. si neuter sit peregrinus, aut alienigena, parochus debet præmittere denunciationes, & nullo opposito impedimento, potest nulla Ordinarii licentia requisita matr. assistere; Probatur a contrario sensu, ex *c. si. de clandest. desp. in prin.* ubi textus instruens parochum, ait, *Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendum, contractus interdicatur*: ergo cum non opponitur impedimentum, non est cur interdicatur, sed potest parochus illud celebrare. 2. Probat. clarius ex *Trid. 24. de matr. c. 1.* ubi instruens parochum de ejus officio, inquit, *Quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum: ad celebrationem matr. in facie Ecclesiæ procedatur*: ergo nullo opposito impedimento, potest statim parochus celebrare. Et confir. quia *Trid. eod. sess. 24. c. 7.* quando contrahentes sunt peregrini, specialiter decrevit esse obtinendam licentiam ab Ordinario, ergo non est idem dicendum in aliis casibus, quando nullum apparet impedimentum, tandem, quia officium parochi est ministrare sacramenta suis ovibus, ergo dum nullum adest obstaculum, potest absque alia licentia ministrare, Sic docent *Guttier. 2. l. pract. q. 8. n. 9. vers. Ego autem, Enriq. l. 11. de matr. c. 7. n. 1. Manuel. 1. t. sum. 2. ed. c. 217. n. 11.* Quare audiendus non est *Palacios 4. d. 27. d. 3. f. 602. ante virf. Sed quid si vere*, dicens hodie per *c. 1. Trid. sess. 24. de mat.* non licere mulieri nubere absque licentia Ordinarii: sed id caput potius oppositum probat, ut vidimus.

III. Concl. si impedimentum opponatur, potest parochus interdicere matr. non autem de impedimento cognoscere, sed res differenda est ad Ordinarium, ut de illo cognoscat. Probatur ex *c. si. in fin. de clandest. sponsi.* ibi, *Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis*: ubi verbum *Constiterit*, importat judicialem potestatem, *c. Exhibita, de judiciis*. hanc enim habet vim, ut constet per instrumenta, vel testes, vel aliam claram probationem: ut cum aliis tradit *Masc. de prob. concl. 75. n. 20.* & 21. ergo cum parochus careat judiciali potestate, non spectat ad ipsum de impedimento cognoscere. Item, quia cognitio impedimentorum matrimonii pertinet ad Episcopum *cap. 1. de consang.* ibi, *Non supt causæ matrimoniales tractandæ per quoslibet, sed per judices, qui potestatem habeant*. Item quoad parochum pertineat impedire: probatur, quia *c. fin. clandest. de sponsal.* agens cum parocho, ac de ejus officio, ait, *contractus interdicatur*: ergo supponit parochi esse interdicere: & clarius *ib. §. fin.* ibi, *Sane si parochialis sacerdos prohibere contempserit*: ergo supponit parochi esse prohibere. Hanc tenent *Hostiens. d. c. fin. super verb. Interdicatur, & super verb. Interdicatur, & super verb. Manifestis: & ibi Jo: Andr. num. 9. Card. n. 2. Anchar. n. 10. Præpos. num. 7. Alex. de Nevo in princ. num. 16. 17.* cum Calder. per eum citato: *Greg. Lop l. Deben vedar, t. 3. p. 4. Guttier. 2. pract. q. 8. num. 9. vers. Ego autem, Segura directorio judicium, 2. p. c. 16. num. 24.* Et ex Theologis, *D. Antonin. 3. p. t 1. c. 16. in fi. princip. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 217. n. 10.* Quamvis aliqui, quos refert, & videtur sequi *Inn. d. cap. fi. fine* (refert enim horum sententiam in ultimo loco, nec improbat) asserant, ad Ordinarios pertinere, interdicere, eo quod actus jurisdictionis sit: sed respondent bene *Card. ibi n. 2.* parochum interdicere extrajudicialiter, quod non est actus jurisdictionis.

Qua prudentia autem usurus sit Ordinarius, dum impedimentum opponitur, vel petitur feminam deponi in loco tuto, ad explorandam ejus voluntatem, consulendus est *Segura 2. p. directi. judicum, c. 16. a. n. 23. usque in finem.*

Ex his infertur, non audiendum esse *Seguram 2. p. directorii, c. 15. n. 12.* ubi ait, licere parocho assistere matr. frangentis alionum sponsalium fidem, quia potest relinquere conscientiæ illius, & præsumere ex aliqua causa illum excusari. Sed audiendus non est, quia sponsalia illa impediunt aliud matr. iniri, & ita, ubi de hoc impedimento constiterit, non incumbit parocho illius cognitio, sed tenetur deferre ad Ordinarium (ut diximus n. 3.) nec ipse etiam Ordinarius poterit dare licentiam assistenti illi matr. quia tenetur cogere servare priora sponsalia (ut diximus l. 1. disp. 29. n. 4.) nec potest præsumere sponsum licite resilire, & ejus conscientiæ relinquere: quia judex in foro externo ac subinde tenetur judicare secundum allegata, & probata, & cum constet de obligatione, debet ipsi constare juridice de liberatione ab illa, quam dum sponsus non probaverit, præsumptio est contra ipsum, in favorem prioris sponsæ.

2. Infertur, similiter non audiendum esse *Philiarc. de offic. sacer. t. 1. p. 2. l. 4. c. 22. §. Confessores etiam*, ubi ait parochum conjungere debere illos, qui affirmarunt impedimentum, & postea negarunt, si aliter probari non possit: quia Ecclesia non judicat de occultis: & refert hunc casum accidisse, cum quidam ducere concubinam vellet, quam vivente uxore cognoverat, fassus est parocho interroganti, promissionem matrimonii una cum adulterio intervenisse, parochoque testanti esse impedimentum dirimens, revocavit confessionem, negans fidem matr. datam: & ait sacram pœnitentiariam consultam, respondisse conjungendum esse matr. cum concubina. Sed hoc nullo pacto credo, & forte aliquæ aliæ circumstantiæ occurrerunt, ob quas sacra pœnitentiaria censuit standum esse posteriori confessioni. Prob. 1. quia ubi hic fassus est impedimentum, jam parochus non potest illum conjungere, fed tenetur rem deferre ad Ordinarium (ut dixi n. 3.) Præterea, quia nimis indignum est, ut quod sua voce quisque dilucide protestatus est, id in eumdem casum infirmare possit, proprioque testimonio resistere: ut habetur *c. Per tuas, de probat. & l. Generaliter, 13. C. de non numerando.* quod maxime in hoc casu habet locum, sunt enim ultra spontaneam confessionem vehementissimæ conjecturæ veritatis illius, nempe, statim mortua uxore tractare de matr. contrahendo cum ea concubina, affectio nimia erga illam, & frequentissimum esse, concubinarios turpi amore captos, mutuam sibi de matr. contrahendo fidem dare: quo mutua amoris signa præbeant, experientia ipsa teste. Deinde, quia facile de concubinariis præsumi potest, in secunda confessione mentitos esse: ne separentur, a matrimonioque arceantur. Tandem, quia probat confessio etiam extrajudicialis contra confitentem, donec de ejus errore constet, & dicitur melior ceteris probationibus; ut per *d. l. Generaliter*, docet *Menoch. de præsump. l. 3. præsump. 130. num. 50.*

Posset tamen Ordinarius credere opposito priorum sponsalium cum alia impedimento, fatenti illa, dicentique se ficte promisisse, si notabilis sit disparitas inter promittentem, & recipientem promissionem. Quamvis enim regulariter (ut statim n. 8. probabo) fides adhibenda non sit dicenti aliud mente retinuisse, quam ore protulerit, credo tamen, nisi vehementia indicia sint pro altera parte, esse sufficiens ficti consensus signum; ut Ordinarius non cogat ad priora sponsalia, illam notabilem disparitatem. Prob. ex dictis l. 2. disp. 45. n. 8. ubi diximus, si vir longe dispar asserat, se ficte consensisse in matr. aliasque nuptias contrahat, esse sufficiens indicium, ut possit femina credere prius matrim.

matrim. non valuisse, aliudque ibire: cum ergo minus requiratur matrim. non valuisse, aliudque ibire: cum ergo minus requiratur ad sponsalia dissolvenda, erit sufficiens indicium ficti consensus, disparitas magna cum aliis sponsalibus contractis. Præterea, quia *Cov. d. decr. 2. p. c. 7. n. 4. & Palacios 4. d. 28. disp. un. fol. 628. col. 2. fin.* ajunt conjecturas probabiles ficti consensus tribuere, generis, divitiarum, status conditionem valde disparem. Item, quia quamvis jura clament in dubio judicandum esse pro matrimonii valore, *c. si de sent. & re judic.* at fallit, ubi magna disparitas est contrahentium, tunc enim non oritur inita matr. præsumptio, ut testatur *Curtius, Cepola, Ant. Gravo*, quos refert, & sequitur *Masc. de prob. concl.* 1027. *n.* 7. Item quia l. 1. disp. 10. n. 5. & 19. diximus, virum longe disparem deflorantem virginem disparitatis consciam, ficta matrimonii promissione, eximi a matrimonii ineundi, & restitutionis obligatione, eo quod sufficiens indicium fuerit deceptionis ea disparitas. Tandem, quia *Cepola*, quem refert, & sequitur *Menoch. præsumpt. l. 3 præsump. 4. n. 16.* ait, conjecturam esse metu contracti matrim. notabilem disparitatem, ut si vir sit admodum nobilis, & dives, mulier autem vilis, & pauper: idem *Petr. de Bambolus inter cons. matr. Zilati, cons.* 24 *n.* 10. Et addit orta quæstione contracti matr. hanc disparitatem, præsumptionem non contracti inducere. Et expresse *Sotus 4. q. 29. qu. 2. a. 3. vers. Censent, & Barth. Ledesm. dub. 25. de matrim. concl. 7. fin.* asserunt, quando vir illustris feminæ pauperi matrimon. spondet, facta corporis copia non præsumi spoliatia, sed virum voluisse Veneri satisfacere.

3. Infertur, quid dicendum sit, quando parocho constat impedimentum extra confessionem, & volens contrahere illud negat, vel si fateatur, verbi gratia, votum, asserit se eo non teneri, quia ficte vovit, vel ex alia causa, vel si omnino fateatur impedimentum, illud est occultum, petit autem matrim. publice? *Veracr append. ad spec. super a.* 15. 1. *p. f.* 100. & *seqq.* quem sequitur *Vega l. 3. sum. casu* 364. sic distinguit, si sacerdos non sit proprius parochus, sed licentiam ejus habeat assistendi matr. tenetur eos repellere contrahentes: si autem sit proprius parochus, & petens neget impedimentum, v. g. votum, tenetur assistere matr. quia votum ejus, cum occultum sit, probari non potest: & esto parochus certus esset de voto emisso, tenetur fidem adhibere dicenti se voto minime teneri. Potuit enim esse, ut ficte voverit. Si vero impedimentum non neget, & petat occulte matr. aut coram duobus solis testibus, repellendus est: secus si petat publice, cum impedimentum sit occultum. Idem in alio simili, docet *Bart. a Led. dub. 21. de matr. §. Sed dubium se offert, fol.* 1339. ubi ait, opponente aliquo coram parocho, seminam habuisse rem cum consanguineo volentis tuiere, debere parochum feminæ suadere, ut veritatem detegat, negantique credere: si vero fateatur impedimentum, debere suadere, ut desistat: quod si nolit, publicequé matr. petat, non posse illud negare. Et prob. credendum esse fatenti votum, dicentique se ficte vovisse, vel eo non teneri: quia hic actus pendet ab animo, ea vero, quæ ab animo pendent, & in animo consistunt, ut scientia, & ignorantia, probatur partis juramento: ut bene tradunt *Cov. 2. var. c. 10. n. 1.* & multi alii, quos referunt, & sequuntur *Masc. de prob. concl.* 45. *nu.* 48. & *concl.* 94. *n.* 5 *Gratia. reg.* 270. *n.* 1. *per c. Significassi, el 1. de homicidio* per quod *Fel. c. Si vero, de jurej. n.* 8. *vers. Declara, Gutier. de juram. 1. p. c.* 57. *n* 20. *Seraphinus de privil. juram. privil.* 110. *n.* 16. affirmant, stari confessioni dicentis, se non habuisse animum se obligandi, juramento coacto. Probat. quia hic solum agitur de bono conscientiæ petentis matrim. qui peccabit contrahendo, quando est impedimentum voti simplicis, vel aliud non dirimens, valebit enim matr. ergo relinquendum est conscientiæ ipsius, negantis votum, vel dicentis se eo non teneri. 3. Prob. altera pars, nempe non posse negare parochum petenti publice matr. ob impedimentum certum occultum tamen. Quia peccatori occulto petenti publice Eucharistiam, quamvis recipiendo delinquat lethaliter, nequit parochus negare: teste *D. Th. 3. p. q.* 80. *a.* 3. quem omnes sequuntur: eamque reddit rationem, quia petit jus suum, quo privari nequit nisi ob causam manifestam, teneturque parochus illæsam illius famam conservare: ergo eadem ratione licet petens matr. cum voto, vel alio impedimento occulto, peccet cum jus suum petat, nec infamari debeat, tenetur parochus ei ministrare. Et confir. quia affecto aliquo lethali occulto petenti publice matr. non potest parochus negare, licet ille lethaliter delinquat sic recipiendo Sacramentum: ergo similiter dicendum est de habente occultum impedimentum impediens ut votum, cum tantum agatur de vitando peccato lethali, quod admittet sic contrahendo. 4. quia laborans impedimento occulto, ut irregularitate, si publice ordines petat a proprio Episcopo, casu, quo tenetur eos conferre, non potest expelli, ut constat ex *c. Ex tenore, de temp. ordi. fi. ibi, Verumtamen, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* Et docet *ibi Gl. fi. D. Ant. 3. p. 1. 4. c. 16. §. 11. Silv. Ordo* 3. *q.* 9. ergo similiter nequit proprius parochus negare matrim. publice petenti, ob impedimentum occultum: & eo fortius, quod illa irregularitas impedit post susceptum ordinem illius exercitium: impedimentum vero impediens matr. non impedit illius jam contracti usum, nisi sit votum castitatis, quod solum impedit usum quoad debiti petitionem.

9 His tamen minime obstantibus, dicendum primo est, non esse audiendos hos DD. dum dicunt credendum esse fatenti votum, dicentique se eo non teneri, quia ficte vovit: quamvis enim Confessarius in foro conscientiæ fidem adhibere debeat, secus tamen est in foro externo, ad quem matr. pertinet: ut bene docent *Hostiens. c. Veniens, qui clerici, vel vov. super ver. Suis, & ibi Joan. And. nu. 2. Anch. n. 1 fi.* & etiam in juramento metu coacto non credi nisi in foro pœnitentiæ, dicenti se cavisse animo se obligandi, tradunt *Ant. c. Si vero, de jurej. num.* 5. & *ibi Abb. n.* 10. *Im. fin. Alex. de Nevo, n.* 38. *Silv. Juramentum* 4. *qu.* 7. *dict.* 1. Et probatur ex *c. Per tuas, de probat. ibi, Cum nimis indignum sit, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare*: ergo fatens votum sibi objectum, non poterit solo suo testimonio infirmare 2. quia dicere nemo præsumitur, quæ in corde non habet, *l. Labeo, 7. vers. Idem Tubero ff. de supel. legat. ibi, Non arbitror quemquam dicere, quod non sentit*: & tenent multis citatis *Tiraq. l. Si unquam, verb. Libertis, n.* 17. & *seq. C. de revoc. donat. Menoch. de præsump. l. 6. præsump.* 35. *n.* 2. & *seq. & l. 1. qu.* 22. *n.* 1. & *l. 3. præsumpt.* 1. *n.* 36. & 37. ubi addit, esse violentam præsumptionem, quam tacit lex præsumens, id non esse in corde, quod loquitur lingua: cum ergo sit violenta juris præsumptio contra proferentem ore vorum, quod corde, & ex animo: non autem ficte protulerit, non elidetur hæc præsumptio, sola volentis contrahere confessione: cum in foro judiciali credatur homini contra se, non autem, pro se, teste *D. Th. quodlib.* 1. *ar.* 12. & constat ex *l. Omnibus 9. c. de test. ibi, Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt.* Et confir. quia alias præsumeretur delictum mendacii, cujus præsumptio omnino fugienda est *c. 2. de reg. jur. in 6. & c. Absit* 11. *q.* 33. quia præsumitur animus se obligandi in voto (ut late probavi l. 1. disp. 9. n. 13.) cum neganti hunc animum, incumbit probandi onus. Tandem quia quando aliquis fateatur delictum, cum circumstantia excusante, valet ejus confessio quoad delictum, non tamen quoad circumstantiam, si jus contra eum præsumat: ut valet confessio dicentis se hominem necasse, in propriam defensam, quoad eam solam partem, quod necarit: jus enim contra homicidam præsumit, injuste fecisse: ut docent optime *Bart. l. Aurelius, §. Idem quæ sit, n.* 2. *ff. de liber. leg. Decius c. Cum venerabilis, n.* 82. *de except.* & plurimis aliis relatis, *Julius Clarus l. 5. recep. in prædi. crimi. §. p. q.* 55. *vers. Posset quoque*: ergo dum quis fateatur se emisisse votum absque animo tamen se obligandi, credendum est ei, quoad votum, non tamen quoad animi defectum: cum præsumptio juris sit contra eum, nimirum animum, & cordis intentionem verbis consonare.

Posset tamen hoc ita temperari, nempe sinullo alio pacto 10
constet de voto emisso, nisi ex confessione volentis contrahere, tunc si votum fateatur, & simul defectum animi se obligandi, est ei fides adhibenda: quia est verisimile in utroque veritatem fateri: si mentiri enim vellet, facilius utrumque negaret, cum probationes contra ipsum deficerent, nullusque impedimentum opposuisset: ut in simili dicunt *Abb. c. Auditis, n.* 32 *de præscr. Ripa c. Cum Ecclesia Sutrina, de caus. poss. n.* 30. & 31. *Masc. de prob. concl.* 1201. *n.* 55. & 56. de eo, qui confitetur homicidium in sui defensam, quod nulla alia ratione, quam ex ejus confessione constat: quod bene intelligit *Rip. eod. n.* 31 *fi.* nisi confessio facta sit metu probationum, ut in simili docet *Gl. c.* 1. *vers. Si confessus*, 16. *q.* 8.

2. Dicendum est contra prædictos DD. dum parocho constat 11
de impedimento occulto, ut voto, non posse publice petenti matr. ministrare. Quia ubi opponitur impedimentum, non est parochi de illius veritate discutere; sed tenetur ren ad Ordinarium deferre (ut dixi n. 3.) & esto nullus opponat, tenetur ipse impedimentum opponere cum Ordinario, sicut quilibet alius teneretur, imo a fortiori, cum ipsi incumbat ex officio impedimenta investigare, & saluti spirituali ovium suarum consulere, ejusque testimonio sufficienter, & plene probetur impedimentum, ne matr. contrahatur: uti probavi l. 1. disp. 71. n. 1. Et ita bene *Enriq. l. 1. de Sacram. c. ult. nu.* 6. ait parochum, qui extra confessionem novit impedimentum occultum matr. præfertim dirimens, teneri impedire, quod idem docet, *Majolus l. 3. de irreg. c.* 25. *n.* 13. *p. Affinitas, fin.* Et idem a fortiori dicent DD. quos referam disp. seq. n. 8. 9. 11. & 12. dicentes etiam si parochus intra confessionem norit impedimentum, debere negare matr. si absque sigilli periculo possit. Fateor tamen, si Ordinarius ipse nosset impedimentum, & nulla via probare posset, teneri cum petenti publici matr. non denegare, Quia cum ipse sit judex, minime poterit esse testis, & cum nullo pacto possit probare causam denegandi matr. tenetur, secundum allegata, & probata; non denegare, ut diximus n 8. fine, de Episcopo, a quo irregularis occultus petit publice Ordines. Hinc fit, si parochus re delata ad Ordinarium, compellatur assistere matr. quia alter purgat se ab impedimento, quod certo parochus novit, non peccare assistendo: quia munus suum obit, nec cooperatur peccato contrahentis. Sic *Enriq. l. 1. de Sacram. c. ult. n. 6.*

Ad arg. contrariæ sententiæ, proposita n. 8. respondetur. 12
Ad 1. dic, quæ pendent ex animo probari sola partis confessione, quando non est aliqua juris præsumptio contra ipsum consistentem ut bene docent *Bart. l. Inter omnes, §. Reste, num.* 3. *fin. ff. de furtis, Ripa c. Cum Eccles. nu.* 37. *de caus. poss. & proprii Fel. c. Significassi, el 1. num.* 3. *de homicid. Jas & Hyppolytus*, quos refert, & sequitur *Gratia. reg.* 270. *n.* 6. *Masc. de prob. concl.* 94. *n.* 20. at in nostro casu est juris præsumptio animi se obligandi per votum. 2. etiam intelligitur, quando animus non potest aliter constare, quando enim potest per verba, vel facta animus probari, non statur proprie confessioni, ut bene tradunt *Felin. ibi n.* 4. *Masc. ibi num.* 32. in hoc autem casu possunt testes de animo deponere per verba. Nec obstat doctrina ibi allata, de juramento coacto: quia oppolita est verior, ut dixi n. 9. Et esto vera esset, adest in juramento coacto magna conjectura defectus consensus, adeo ut in dubio afferant multi præsumi defectum animi se obligandi: ut retuli l. 1. disp. 9. n. 13. Ad 2 negatur antecedens, agitur enim de servando jure canonico, & impedimentis matr. ab ipso inductis, & de bono communi, ad quod spectat, ne impediti contrahant. Ad 3. negatur consequentia, & similiter ad confirmationem; est enim longe dispar ratio de aliis peccatis occultis, quæ non impediunt ordinum receptionem, & matrimonium: quia Ecclesia non habet jusin foro externo, ad impediendum obiilla matrimonium, vel Ordines, vel Eucharistiæ receptionem, cum non judicet de occultis, sed solus correctionis fraternæ lege tenetur occulte petenti denegare: quando autem sunt impedimenta jure ipso impedientia Ordines, vel matrimonium, habet jus in utroque foro impediendi, si unius testimonio probari possint: ut contingit hic, potest enim parochi testimonio probari impedimentum, nec perit ille ignorans jus suum, jure enim impeditur contrahere, nec parochus negando publice, infamat: quia tenetur secreto monere, & si nolit monitus desistere, sibi imputet: sicut enim potest, & tenetur ipsum denunciare Ordinario, ita potest, & tenetur negare, donec Ordinarium adeat, tacita denegationis causa. Item est alia aperta differentia, quia in hoc casu potest impedimentum probari unico teste, non autem alia peccata occulta ad repellendum ab Eucharistia. Ad 4. dic, concludere Ordinarium qui judex est, non posse publice denegare matrimonium, ob impedimentum sibi soli notum: quia cum judex sit, nequit esse testis, unde impedimentum est omnino improbabile: secus autem de parocho, qui cum non sit judex, potest testificari de impedimento, ut explicuimus n. præcedenti.

13 Rogabis tamen, quid dicendum sit, quando parochus vel Ordinarius novit impedimentum, & impeditos obtinuisse dispensationem pro solo conscientiæ foro? Videtur enim non posse eum hos conjungere matrimonio, etiam nullo opponente impedimentum, quia Ecclesia ex officio tenetur investigare impedimenta, *cap. fin. de clandest. de pons. in fi. princ. ibi, Et ibi presbyteri investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat*. Et notant *ibi Hostien. super. verb. Investigent. Joan. And. n. 9. Ant. num. 8. Cardin n. 1. Anch. n. 10. Alex. de Nevo in pri. n. 9.* & *10. Greg. Lop. l. 1. verb. Trabajar. t. 3. p. 4.* ergo cum illi in foro externo impediti sint, in quo Ordinarius est judex, & debet dare contrahendi matrimonium licentiam, & parochus sit Ordinarii minister, & noverit illud impedimentum, tenebitur parochus denunciare, & Ordinarius ex officio inquirere, ut illud probari possit, & eo probato matr. impedat. Ex altera parte, videtur, posse parochum, & Ordinarium dissimulare, & eos conjungere matrimonio. 1. quia si matrimonium esset contractum virtute illius dispensationis, non posset Ordinarius sic dispensatos separare, cum coram Deo veri conjuges sint, nec Pontifex efficere possit, ut matrimonium sit in pendenti, & semel validum, deinceps non valeat: ergo cum similiter coram Deo hi non sint impediti, quia habent dispensationem, de qua constat Ordinario, vel parocho, poterunt eos matrimonio copulare. 2. Quia antiquissimus curiæ stylus habet, ut litteræ dispensationis in foro conscientiæ obtentæ contineant clausulam, ut dispensatio clam absque testibus fiat, eaque facta, litteræ dilanientur, teste *Lud. Gom. reg. de non judicando juxta formam supplicationis, q.* 14. *d. Brevior.* Quod ob id solum fieri videtur, ne dispensatio probari possit, & operetur effectum pro foro externo, ergo quando re vera constat judici fori externi, tenetur dispensationem pro eo foro ratam habere, & eos conjungere. 3. Quia quando constat rei veritas, nec procedit ex falla præsumptione, idem in utroque foro censendum est (ut dixi l. 1. disp. 5. n. 20.) ergo cum hic constet veritas dispensationis, nec procedatur ex falla præsumptione, sicut in foro interno judicatur valida, ita in externo, vel in neutro valere debet. 4. Quia aliqui censent, absolutionem ab excommunicatione concessam per bullam pro foro conscientiæ, prodesse etiam pro foro externo: & ita *Enriq. l. 7. de indulg. c.* 13. *n.* 2. *in comm. lit. V.* & *l. 8. de Eucharist. c. 6. n.* 4. *in comm. lit. S.* & *l.* 14. *de irregular. cap. ult. n.* 1. ait, judicem benignum posse absolutum pro foro conscientiæ per bullam, liberare in foro externo, repulso accusatore: ergo similiter poterit concessam dispensationem pro foro interno, habere ratam in externo. 5. Quia *Bart. consil.* 167. *incipienti, Quod minister fratrum, l. 1. Decius cons.* 137. *n.* 3. *vol.* 1. *Anch. c.* 2. *de maleficiis, fine, Felin. cap. His, de occult. n.* 7. *vers. Fallit verso* (ut refert eos *Simancas de Catholicis institut. tit.* 8. *n.* 17.) censent blasphemum absolutum, in foro conscientiæ, puniendum non esse in foro externo, ne quod pacem cum Deo inierit, qui est principaliter offensus: ergo similiter, qui dispensationem obtinuit in foro conscientiæ, cum coram Deo, cujus offensæ vitatio principaliter intenditur, dum Ecclesia negat matrimonium habentibus impedimentum, impeditus non sit, non erit molestandus in foro externo, nec arcendus a matr. contrahendo. Et ita invenio tenentem *Enriq. d. 14. de irregul. c. ult. nu. 1. in comm. lit. E.* ubi eum, cum quo est dispensatum per breve sacræ pœnitentiariæ in foro conscientiæ in occulto matrimonii impedimento, non esse in foro externo molestandum.

14 IV. Tamen conclusio sit, si nullus denunciet impedimentum coram parocho, vel Ordinario, quamvis ipsis constet de impedimento, si constet etiam de dispensatione pro foro conscientiæ, possunt dissimulare, & sic impeditos matrimonio conjungere: & in hoc casu est vera sententia *Ent. n. preced. fine allog.* Quia quamvis ex officio tenentur investigare impedimenta, id evenit, ne impediti contrahendo delinquant: ergo ad id non tenentur, quando ipsis constat eos absque culpa contrahere propter dispensationem in foro conscientiæ obtentam. Item quia cum nullus sit denunciator, qui judicem compellat & a quo ortum habeat judicium externum, nec judex compellatur ex officio, quia novit contrahentes esse culpæ immunes, non est, cur teneatur eos repellere.

V. Conclusio, si aliquis denunciet impedimentum illud parocho, vel Ordinario, neuter potest dissimulare, sed tenetur non admittere dispensationem, nec illos conjungere, donec dispensationem pro foro externo afferant. Prob. quia ex quo impedimentum denunciatum est parocho, non potest amplius procedere, sed tenetur rem deferre ad Ordinarium, nam ut ejus minister in foro externo investigat impedimenta, ut dicimus n. 3. ubi autem juridice denunciatum est impedimentum, jam non potest Ordinarius non ministrare justitiam, & circa illius impedimenti cognitionem procedere, cum ejus officium excitatum sit: ergo cum sit judex in foro externo, & in eo jam procedat, debet judicare juxta externi fori leges, illa autem dispensatio (ut in litteris ejus concessionis dicitur) nullo modo prodest, nec conceditur pro foro externo, & subinde nullo modo in eo foro admittenda est: limitata enim causa limitatum producit effectum, *l. In agris, ff. de acquirendo rerum dominio*, & actus non operantur ultra agentium intentionem *l. Non omnis, ff. si. cert. petat*. Quare cum limitata sit dispensatio pro foro conscientiæ, nec dispensans intenderit, pro externo prodesse, nec proderit, nec aliquid operabitur in externo foro. Hanc sententiam tenet *Nav. l. 5. cons. in 1. edit. tit. de privil. cons.* 5. *in 2 vers l. 2. t. de judiciis, cons.* 4. ubi late probat, quando virtute dispensationis obtentæ pro solo conscientiæ foro, detegitur impedimentum in foro externo, debere judicem declarare in eo foro matr. esse nullum: quod amplius declarabo n. 17. in folut. ad 1. Pro eadem sententia sunt *Manuel in bulla cruc. d. 13. n. 6. vers. Siguese lo tercero*, & *Vega l. 9. summ. casu* 143. *ad fi* ubi docent impetrandam esse ratihcationem dispensationis in foro externo quando contractio matrimonio virtute dispensationis in foro conscientiæ, publicatur impedimentum.

VI. Conclusio, si notario ex judicis commissione, vel ipso, 16
judice confessionem contrahentum excipiente ex officio, nullo, scilicet, opponente impedimentum, contrahens affirmet se aliquo impedimento impedente, vel dirimente laborare, obtinuisseque dispensationem occultam in foro conscientiæ, potest notarius, vel judex id non scribere, sed admonere illum, ut taceat, & se corrigat id negando, ut potest utendo æquivocatione, verbi gratia, potest negare se non vovisse, intelligendo tantum modo impediat matrimonium, cum jam dispensationem obtinuerit impedimenti, juxta tradita l. 1. disp. 10. n. 28. ne illi noceat sua confessio in foro externo: & si esset scripta, posset delere antequam confitens subscribat. Quia nondum ante subscriptionem perfecta est confessio judicialis, & posset ipse sua sponte se corrigere: facta vero confitentis subscriptione, non credo posse. Quia jam est perfecta confessio judicialis, & ceptum est judicium, impedimentumque deductum ad forum contentiosum. Quod si dicas, non inchoatum esse judicium; hoc enim constat ex judice, actore, & reo, *c. Forus de verbor. signif.* hic autem nullus est actor, cum nemo denunciarit impedimentum. Dic officium judicis inquirentis succedere loco partis, sive delatoris, quamvis non loco partis principaliter offensæ: ut tradit *Jacob. Butricanus*, quem refert, & sequitur *Bart. d. Inter omnes §. Reste n. 3. ff. de furtis, per l. Properandum, §. Et si quidem C. de judiciis, & l. fi ob causam, C. de evictio.*

Ad argumenta proposita n. 13. ad probandum teneri judicem 17
admittere dispensationem pro foro interno concessam (nam ad illud, quod proponitur ad probandum teneri nullo opponente repellere, constat ex dictis n. 14.) respondetur: ad prim. negando non posse eos separari, imo debet judex declarare esse nullum matr. in foro externo, & separare contrahentes, donec in eo foro dispensationem habeant, ut constat ex adductis num. 15. nec matrim. est in pendenti, nec Pontifex efficit, ut matr. semel validum, sit invalidum: sed ut validum in foro conscientiæ, non admittatur in foro externo tanquam validum, ad effectum consentiendi ut simul vitam uxoriam agant. Ad 2. negandum est id fieri ad finem, ne contenta in litteris possent in foro externo probari, & ita in eo operarentur, sed fit teste *Nav. n.* 15. *allegato*, ne occulta delicta in illis contenta detegantur. Vel 2. & melius, dic eam clausulam esse ad denotandum nil prodesse eam dispensationem pro foro externo, in quo exigebatur, fidem fieri per litteras continentes dispensationem. Ad 3. dic intelligi antecedens, quando non fit concessio limitata pro solo conscientiæ foro, tunc enim diversum est judicium in his foris, quamvis rei veritas constet. Ad 4 dic, cum facultas in bulla concessa absolvendi, non restringatur pro solo conscientiæ foro, sumpsisse ansam DD. aliquos opinandi illam absolutionem pro utroque foro præstari (quod adhuc est contra communem & veriorem sententiam) hic autem sumus in casu valde diverso, expresse enim in his dispensationibus habetur, illas non suffragari pro foro externo. Ad 5. dicito, male *Simancas* eos auctores referre, esset enim falsa doctrina & contra proximos, illi enim DD. loquuntur casu, quo statutum sit, ut nullus de carceribus remittatur, nisi pace composita cum parte

parte offensa: tunc enim cum blasphemus solum Deum offendat, restitutus in Dei amicitiam per confessionem, eruetur a carceribus, juxta statuti formam: quia Deo, qui solus est pars offensa satisfecit. Quæ doctrina prorsus est aliena a casu nostro, nam ibi statutum decidit pro foro externo, in nostro autem casu dispensatio est pro solo conscientiæ foro.

18 Inquires autem, an possit aliquis arceri a matr. contrahendo, eo quod ignoret doctrinam Christianam? Affirmant aliqui arceri posse, donec memoria retineat orationem Angelicam, & Dominicam, Symbolum fidei, præcepta decalogi, & Ecclesiæ, ac septem peccata capitalia, nisi præ senio, aut ingenii tarditate incapax sit. Sic *Barth. a Ledesf. de matr. dub.* 21. *p.* 1358. quem sequitur *Vega l.* 3. *sum. casu* 211.

19 VII. Conclusio sit: potest prælatus censuris compellere subditos, ut discant doctrinam, & parochus ut eam interroget: ut bene docent *Perez l.* 1. *ord. tit.* 1. *l.* 1. *f.* 19. *col.* 2. §. *Aliud enim se offert dubium*, asserens Salmanticæ sententia publica Metropolitani ita pronunciatum esse; *Manuel* 1. 1. *sum.* 2. *edit.* 688. *n.* 1. expedit enim valde, ut memoria retineat, quo mysteriorum fidei rationem reddere valeant: nescio tamen, qua ratione possit ob hanc ignorantiam arcere aliquos a matr. contrahendo, cum ipsius non sit impedimenta matrimonii statuere, nec hoc impedimentum ab Ecclesia statutum sit; posset tamen suaviter, & bono modo, quando contrahentes non instarent, brevi tempore eos detinere, donec doctrinam addiscant: de peccatis autem capitalibus non est curandum, ut scirent, & potius rudibus valde nocet ea edoceri; putant enim quamcumque superbiam, gulam, & cetera, esse peccata lethalia, & sæpe ex conscientia hac erronea, mortaliter delinquunt. Et similem huic doctrinam invenio in *D.Th.* 2. 2. *q.* 65. *a.* 3. *ad* 3. quem alii sequuntur, ait enim licere privato detinere aliquem ad horam; ne majum aliquod perpetret: non tamen simpliciter detinere, ita dico absolute per longum tempus, vel ubi contrahentes instarent, non licere eos a matr. arcere ob prædictam ignorantiam, sicut nec eo quod non restituunt: licere tamen, suaviter & absque violentia, ad breve tempus detinere, ut sic discendæ doctrinæ curam habeant.

20 VIII. Conclusio, ubi nullum reperitur impedimentum, debet parochus volentes contrahere matr. in facie Ecclesiæ conjungere. Constat ex *Trid. sess.* 24 *de matr. c.* ibi; *Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur*. Ut autem dicatur matrimonium celebrari in facie Ecclesiæ, non est opus ut in ipsa Ecclesia materiali, vel in ejus limine celebretur; sed satis est coram fidelium multitudine: ut testantur *Abb. c. fin. n.* 9. *de clandestino desponsat.* ubi *Præpos. n.* 9. *Alex. de Nevo in princ. n.* 25. *Sylv. Matrimonium* 2. *q.* 17. *dicto* 2. *Maioris* 4. *d.* 27. *q.* 1. Nam Ecclesia dicitur aliqua fidelium congregatio, *c. Relatum el 1. de rescript. vers. Nomine autem Ecclesiæ, & c. Ecclesia, de consec. d.* 1. & tradit *gl. in c. ult. de peculiis vice sunt.* Hodie autem satis dicitur contractum in facie Ecclesiæ, si coram parocho, & duplici teste, denunciationibus præmissis matrimonium ineatur: hanc enim formam tradit *Trident. d. c.* Sic *Navar. sum. Lat. cap.* 22. *num.* 70. *initio*, *Mazras Ant. corona Confessorum*, 4. *p. de matr. c.* 8. *n.* 18. §. *Ex quibus verbis*.

21 Quid autem interrogare debeat parochus, & quæ verba proferre, dicam hoc 3. lib. disp. 38.

22 Ultima conclusio, parochus tenetur habere librum, in eoque scribere conjugum, & testium nomina, locum, & tempus contracti matrimonii: quod præceptum, quia tendit ad finem vitandi lites, & ut Ecclesiæ constet de matrimonio, obligat sub culpa lethali: quamvis *Trid. sess.* 24. *de matrim. c.* 1. non utatur verbis adeo rigidis, ut denotent lethalis culpæ vinculum: solum enim dicit, *Habeat parochus apud se librum*; ex fine tamen, quem intendit, colligitur velle obligare ad lethale. Et ita docet *Errig. l.* 11. *de matr. c.* 7. *n.* 4. *Manuel* 1. *tom. sum.* 2. *ed. c.* 217. *fin.*, *Barth. a Led. dub.* 21. *de matr. p.* 1331. §. *Et annotare*. Ad idem tenentur religiosi, qui innovo orbe, vel alibi ex privilegio funguntur munere proprii parochi. Quia eadem est ratio, ut bene docet *Veracruz appendice ad speculi dub* 12. *concl.* 3. Quando autem aliquis de licentia Ordinarii assistit matrimonio, tenetur parochum admonere, ut scribat in libro: ut servetur prædictum Tridentini decretum. Non tamen requiritur aliqua authentica notarii subscriptio, sed satis est simplex parochi, quia eam solam petit Tridentinum: ut bene docet *Veracruz ubi. concl.* 2.

DISPUTATIO XVI.

An Ordinarius, vel parochus, qui in Sacramento confessionis novit impedimentum dirimens matrimonium volentium contrahere, possit, & teneatur illis denegare matrimonium?

SUMMARIUM.

Quot sint quæstiones disputandæ, num. 1.

An licitum sit uti scientia confessionis ad externum regimen, & gubernationem, refertur opinio affirmans, n. 2. *& contraria, n.* 3. *ubi etiam an violetur sigillum, si ipse pœnitens extra confessionem manifestetur peccatum.*

Opinio auctoris, n. 4. *Et solvuntur argumenta, n.* 5. *& explicatur cap. si. cap.* 6 *q.* 2.

An teneatur sacerdos uti scientia confessionis extra illam, negarque indigno suffragium, Eucharistiam, Ordines: refertur opinio affirmans, n. 6. *Et contraria, n.* 7.

An eligens indignum ex confessione notum, incurrat pœnas juris, 8.

Quotiet parochus, vel Ordinarius se debent habere, scientia extra confessionem, impedimentum Ordinum, vel matrimonii, indignitatem ad Eucharistiam: referuntur variæ sententiæ a n. 8. *usque ad* 12. *Et sententia, auctoris, n.* 13.

Non potest repellere quemque sacerdos, ob solam confessionis notitiam occulte potentem, 14.

An possit tunc occulte monere, n. 15. *Et teneatur sic monere, num.* 16.

1 HÆC disputatio est gravissima, pendetque ex ea, qualiter ex scientia confessionis possit sacerdos extra eam juvari? Et ideo triplex est disputanda quæstio. I. An possit uti scientia confessionis ad externum regimen? II. An teneatur? III. Qualiter se debeat habere, dum in confessione novit impedimentum matrimonii?

2 Quæstio I. An liceat sacerdoti uti scientia confessionis ad externam gubernationem, ut faciat, vel omittat aliqua, quæ alias non esset facturus, vel omissurus? Duplex est sententia. Prima docet id licere, quando effici potest absque periculo detectionis confessionis: quare cum in gratuitis, ubi sacerdos liberam facultatem habet, nulla denegandi causa requiratur, sed mera voluntas sufficiat, potest sacerdotem omnino juvari ex confessionis scientia, & facere quæ aliter facturus non esset, aut denegare quæ alias concederet, ut in gratuita electione, non eligere quem in confessione novit indignum, & amovere eo eamdem notitiam ab officio ad nutum amovibili; quando autem res non est gratuita, sed aliis habet jus, cum requiratur aliqua causa, non posse ex sola confessionis notitia, nisi alias causas allegare possit, amovere ab officio, aut denegare suffragium: ut si officium non est ad nutum amovibile; vel si quis presentetur a patrono, & ex sola confessione novit prælatus eum esse indignum. Quia in priori casu cum causa non desideretur, nulla potest esse rationabilis suspicio peccati detecti in confessione: in posteriori vero, cum exigatur causa justa, nullaque alia allegari possit, potest esse rationabilis suspicio alicujus indignitatis illius, quæ tamen ex sola confessione cognita est. Probo primo hæc sententia ex *c. si. c.* 9. 2. ubi reprehenditur Episcopus, eo quod publice vitarit eum, qui sibi soli crimen fassus est, ergo a contrario sensu non deinquieret, secreto vitans, & ita confessionis scientia utens. 2. Quia sicut confessio non tribuit jus novum confessori in aliquo alio foro, ita non auferit antiquum, quod habebat: sed non audita confessione posset libere eligere illum, aut non eligere, amovere, vel non amovere ab officio ad nutum amovibili, non ministrare Eucharistiam, casu quo non teneretur: ergo ex eo quod per confessionem noverit illum esse indignum, non potest hoc jure privari alias confessio audita, libertatem pristinam tolleret. Et confirmatur, quia ideo licet confessori detegere peccatum audium in confessione, alia via a fe cognitum, quia confessio non privat jure pristino, quod habebat detegendi peccatum extra confessionem notum. Et 2. confirm. quia si Confessor non audisset confessionem, irrationabiliter conquereretur penitens de illo suffragium omnino gratuitum & liberum denegante, ergo audita confessione irrationabilis erit querela, & suspicio denegationis ob crimen confessum. Et 3. confirmatur, quia alias indignus hac cautela uti posset, ut eligeretur, vel permitteretur in officio ad nutum amovibili, nempe confessione facta suæ indignitatis electori. 3. Principaliter probatur, quia sacerdos solum obligatus ex confessione ad regendam illam; ergo ea tecta, potest uti illius notitiam ad bonum commune, aut proprium, aut penitentis. 4. Nam si sacerdos ex alicujus confessione nosset animam interficiendi ipsum, haberetque illius ensem apud se depositum, posset petenti denegare: quod tamen etiam pro vita tuenda, nullo modo liceret, si confessionis sigillum ex illius notitiæ usu offenderetur. Similiter, si petiissem a Petro, ut audiret meam confessionem, & ipse statim mihi fateretur, se, cum sacerdos non sit, confessiones non audire, posset ob eam confessionis notitiam illi non fateri: ergo possum uti scientia confessionis ad actus humanos dirigendos. 5. Quia quamvis Confessor norit peccatum illi Deus, necessario tamen admittendum est, illam scientiam esse in homine, & ex hac parte esse humanam: ergo poterit illa uti ad dirigendos actus humanos, quando sine alterius injuria, aut justo, & rationabili scandalo, uti potest: hoc autem contingit aut, quia apud alios (ut supponimus) non est suspicio peccati confessi: nec sequitur pœnitenti injuria; cum jus non habeat petendi rem gratuitam, nec etiam rem alias debitam, quando occulte petit, & potest ipsi negari, eo quod est indignus, absque aliorum suspicione, quod si inde aliquo pudore suffundatur ipse pœnitens, non est damnum alicujus momenti: præterea quia non est opus, ut sacerdos objiciat directe pœnitenti confessum peccatum; potest enim aliam rationem allegare: ut tunc commode non posse ministrare Sacramentum, vel conferre officium: nec refert, si illa videtur virtualis objurgatio peccati, eo quod licet sacerdos caulam taceat, pœnitens tamen moraliter loquendo eam intelligit: non (inquam) refert, tum quia hoc magis oritur ex pœnitentis delicuria; quam ex sacerdotis actione: tum etiam, quia si sit alia confessio, & rubor pœnitentis, non id sacerdoti suo jure utenti, sed pœnitentis imputati,

tati, rem cujus est indignus, retinentis, aut intendentis, tribuendum est. Ultimo, quia casuum reservatio ideo in Ecclesia est, ut superiores ex notitia per confessionem habita, prudentiores fiant ad externam subditorum gubernationem. Hanc sententiam tenent ex Theologis, *Alensis* 4. *p. q.* 78. *art.* 1 *memb.* 2. *ad* 8. *D. Thom.* 4. *d.* 21. *q.* 3. *art.* 1 *q.* 1. *ad* 3. & melius *quodl.* 5. *art.* 13. *D. Bonav.* 4. *d.* 21. *in* 2. *part.* ubi ait de sigillo confessionis, *art.* 2. *q.* 1 *n.* 62. *Scotus cad. d. q.* 2. *ad* 3. & 4. *Durand.* 4. *d.* 9. *q.* 5. *Altisiodor. lib.* 4. *suæ sum. tr.* 6. *c.* 3. *q.* 4. *v. Quæritur postea*, *Palud.* 4. *d.* 21. *q.* 3. *art.* 3. *n.* 60. *Gabr. ibi*, *qu. un. art.* 3 *dub.* 1. *ad* 2. *Capreolus ibi*, *q.* 2. *art.* 3. *ad* 8. *Deca ibi*, *q.* 2. *art.* 4. *ad* 8. *Henric. de Gandavo quodl.* 8. *qu.* 29. (licet communiter pro opposita senten, male allegetur) *Adrian.* 4. *de confess. q.* 5. *post dub.* 9. *paulo ante dub. quod incipit*, *Ex dictis emergit aliud dub. ver. Ad tertium principale nego consequentiam in parvis vol. fol.* 267. *col.* 1. & *quodl.* 3. *art.* 3. *v. Pro resp. dico primo*, *in eisdem vol. fol.* 61. *col.* 1. *Summa confess. tit. de confes. q.* 94. *D. Ant.* 3. *p. t.* 14. *c.* 12. §. 2. & *r.* 17. *c.* 22. §. 1. *Metin. tr.* 2. *de confess. qu. de his quæ a confess. celanda sunt*, §. *Corollarie sequitur*, *fin. Victoria sum. de Euchar. num.* 80. *fine*, *Sotus* 4. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 5. *ad fin. vers. De iis autem subditorum officiis*, & *de secreto*, *memb* 3. *qu.* 4. *post* 5. *concl. dub.* 1. & *ibi Cordoba in addit. ad Sotum Ledes.* 2. *p.* 4. *q.* 10. *art.* 5. *dub.* 4. *Guillelm. de Borillong* 4. *d.* 21. §. 2. *pars concl. Nicol. in tr. sacerd. de sacram. tit. de Eucb. qu. de cautelis servandis ex parte sacerdotis*: *Suar. de Euchar. q.* 80. *art.* 6. *disp.* 67. *sect.* 3. *Enriq. lib.* 6. *de pœnit. c.* 23. *nu.* 3. & *seq. Bart. a Ledes. de pœnit. dub.* 32. *concl.* 7. *ad medium*, *Lud. Lop.* 2. *part. instr. de confess. c.* 96. *dub.* 1. *fin. Cajus lib.* 1. *dec.* 23. *n.* 6. & 7. *Vivald. candel.* 1. *par. de sigillo confess. n.* 29. *Manuel* 1. *tom. summ.* 2. *edit. c.* 68. *concl.* 6. *n.* 6. *Maurus Anton. corona confess.* 4. *p. c.* 4. *de Euchar. qu. de sumentib. hoc sacramentum*, *num.* 64. *ad medium*. Et ex jurisperitis. *Rebuff. c. Omnis utriusque sexus*, *de pœnit.* & *remiss. super* §. *Suscipiens revoventer*, *v. Oblavo non debet*, & *seqq. fol.* 572. *col.* 2. *Rosella v. Confessionis celatio*, *n.* 2. *Ang. Confess. ult. nu.* 12. *Sylv. Confessio* 3. *q.* 14. & *seq.* §. 9. & *Euchar.* 3. *q.* 5. §. 7. *Tabien. v. Confessionis celatio*, *nu.* 5. *Turrecrem. c. Sacerd. de pœnit. d.* 6. *art.* 1. *n.* 10. *ad* 1. & 2. & *ibi Nav. nu.* 146. *idem Navar. c. Humanæ aures*, 22. *q.* 5. *n.* 6.

3 II. Sententia, docet non licere uti extra confessionem, scientia per confessionem habita, sed fe habere debere Confessarium, ac si nil in confessione sciret. Hanc tenent *Armilla v. Confessor. n.* 7. ubi sic inquit, nil agere potest Confessarius, propter quod posit pœnitens retrahi, & taliter se debet habere confessor, ac si nil de eo unquam audissset: *Bannez* 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *ad fin.* Ad confir. respondetur: & hanc præcipit P. N. Generalis Claud. Aquaviva an. 1590. observari in Societ. JESU, prohibens contrariam doctrinam publice, aut privatim doceri, illusque usum: sicque concludit, *Ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant Confessarii, ac si in confessione nihil penitus audissent: sibique persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc sacr. longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere*. Prob. 1. ex motu proprio Clem. VIII. de casuum reservat. pro regularibus, concesso an. 1594. die 26. Maii, ibi, *Tam superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de eliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*. Ubi aperte hanc fent. decidere videtur. 2. Ex ratione textus, *cap. Si sacerdos de offic. ordin.* ibi, *Licet etiam ei confessus sit, sed tamen non nominatim, potest eum removere a communione, licet sciat esse reum, quia non ut judex scit, sed ut Deus*. Ubi quamvis decisio textus nihil conferat ad confirmandam hanc sent. quia non dicit absolute non posse removere, sed non posse nominatim, id est, nomine ejus coram aliis expresso, ut notat *glos. v. Nominatim*: at ratio decisionis confert, si enim non ut homo, sed ut Deus scit, ergo ea scientia uti minime debet pro exteriori, & humano foro, sed tantum pro foro interno confessionis: sicut e contra, quando scit solum ut judex, & ut privatus scit oppositum, tantum potest uti ea scientia in judicio. 3. Quia sigillum confessionis obligat, non solum respectu aliorum, sed etiam ipsius pœnitentis, id est, non solum tenetur sacerdos non detegere aliis peccatum audium in confessione, sed etiam tenetur nullo modo loqui de ipso cum pœnitente extra confessionem, nec exprobrare, nec objicere illi crimen, nec in memoriam revocare: quamvis enim non sit fractio sigilli proprie, est tamen quoddam genus quasi revelationis, & offenditur sigillum: ut optime docent *Soto d. sent.* 18. *qu.* 4. *art.* 6. *v. Quod si scisceteris*, & *de sigillo*, *memb.* 3. *qu.* 4. *post* 5. *concl. dub.* 4. *vers. Et argum. Metisia. tr.* 2. *de confess. qu. de his quæ a confessore celanda sunt*, §. *Inde ultra videtur sequi*, *Cord. super Sotum de sigillo*, *memb.* 3. *q.* 4. *concl.* 5. *dub.* 1. *v. Secunda regula*, *Ledes.* 2. *p.* 4. 10. *art.* 5. *dub.* 6. *paulo post princ.* §. *Ad hoc respondet*: *Navar. c. Inter verba*, *in nova edit. corollar.* 59. *n.* 160. *Palac. q. d.* 21. *disp.* 2. §. *Itidem dico*, *fol.* 458. *Bart. a Ledes. m. de pœnit. dub.* 34. *fin. Enriq. lib.* 8. *de Eucharist. c.* 59. *num.* 3. & *lib.* 6. *de pœnit. c.* 20. *num.* 7. *Philiar. de offic. Sacerd. t.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 30. *ante* §. *Quod si confess. Bannez* 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *dub* 8. *p.* 3. *vers. Tertia ratio*, *quia ipse pœnitens*, *fol.* 1286. *Angles flovib. 1. p. c.* 3. *de confes. artic. ult. diffic.* 14. *fol.* 304. Pro eadem sententia sunt *Victoria sum. de confess. num.* 185. *Manuel* 1. 1. *sum.* 2. *edit. c.* 55. *concl.* 12. *nu.* 15. *Philiar. d.* 1. *c.* 26. §. *Si sacerdos aliquem*, qui cum *Soto de sigillo*, *d. dub.* 4. *fin.* ajunt nullo modo licere confessori, qui erravit in confessione, convenire iterum pœnitentem, commemorando aliquod peccatum: quia hoc esset exprobrare illi peccatum, sed oportere prius petere licentiam, quod si concedere nolit, liberum esse Confessarium ab ea obligatione: si ergo propter bonum pœnitentis spirituale, & ad præteritum confessionis errorem corrigendum, nullo modo licet loqui cum ipso pœnitente, absque ejus licentia de peccato in confessione detecto, esset que exprobrare illi crimen, a fortiori non licebit ob crimen auditum in confessione, negare illi etiam occulte Eucharistiam, ordines, suffragium, vel removere eum ab officio ad nutum amovibili, quia saltem ipsi pœnitenti objicitur crimen, de illoque, facto ipso reprehenditur. Et confirm quia sicut non licet confessori aliquid efficere, unde alii rationabiliter suspicari possint peccatum auditum in confessione, ita est illicitum, licet non in eodem gradu aliquid facere, unde pœnitens rationabiliter intelligere possit id fieri ob peccatum illud, cum sigillum obliget ne peccatum aliis, aut ipsi pœnitenti extra confessionem reveletur: ergo sicut nefas esset negare Eucharistiam, amovere ab officio, quando alii merito intelligerent causam esse peccatum notum in confessione, ita nefas erit, quando ipsemet pœnitens id intelligit. Confirm. amplius, quia ob id teste *Soto de secreto memb.* 3. *q.* 4. *dub.* 4. *post* 5. *concl. v. Et ad argumenta*, negatur licitum esse extra confessionem, revocare pœnitenti in memoriam peccatum in ipsa auditum, etiam consolandi ipsum gratia: quia pudore suffundetur, & reddetur odiosa confessio: ergo multo minus licebit facto ipso, removendo ab officio, negata Eucharistia, vel suffragio, exprobare illi crimen: majorem enim patietur verecundiam, & magis odiosa efficietur confessio. 4. principaliter probatur, quia ratio potissima ob quam sigilli præceptum tam inviolabiliter obligat, ut nullo in eventu id frangere liceat, cum cetera secreta quantumcumque gravia, & jurejurando vallata, aliquando detegere liceat, est teste *Molina*, *C. de Confessione*, *quæst. Do his quæ a confessore celanda sunt*, §. *Inde ult. videtur sequi*: ne confessio reddatur onerosa, & odiosa, ita enim magni fecit Christus Dominus hoc confessionis expiaculum, & ita facile rediditit, ut quæcumque damna, quæ ex inviolabili custodia subiequi possent, posthabuerit: ne peccatores ab ea retraherentur, & ita subdit *ibi Metina*, similiter vitandam esse quicquid eam odiosam, & onerosam reddere potest, quamvis proprie fractio sigilli minime sit, at nil ita confessionem difficilem, onerosam, & odiosam reddet, quam si peccatores intelligant posse confessorem ob solius confessionis notitiam ipios privare ordinibus, Eucharistia, officiis honorificis, negare suffragia ad obtinenda officia, vel beneficia: cum hæc omnia tanti homines faciant: ergo merito negandum est id licitum esse. Et confir. quia data veritate prioris sententiæ, cessant utilitates sigilli, quas commemorat *D. Th.* 4. *d.* 21. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. *corp.* nimirum, ut homines ad confessionem attrahantur magis, & simplicius peccata detegant. Quare optime *Ricard.* 4. *d.* 21. *art* 4 *q.* 2. *ad* 4. hæc ait, *Prælatus removendo ab officio suum subditum, quem per suam confessionem scit male uti officio suo, ersi faciat utilitatem illius, tamen facit contra utilitatem communitatis, quia alii per relationem remoti ab officio, scientes quod pro sua confessione remotus est, proniores reddentur, ut non confitentur secundum veritatem*. Et 2. confir. quia esto nec remotus ipse ab officio suspicari posit id ortum habere ex confessione, at satis est homines nosse, peccata sola ex confessione cognita jus tribuere ad hoc, ut omnino timeant confiteri, ab eaque retrahantur, ergo. 5. Nam *Trid sess.* 14. *de sacr. de sacram. pœnit. c.* 7. convenientissimum esse criminum graviorum absolutionem superioribus reservari, docet, sicque concludit: *Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores pro beneficio absolutionis accedant*. Quo quidem præcepto quæso, quid gravius, & intolerabilius attenta humana fragilitate imponi posset? Si superioribus fas esset, scientia confessionis uti ad externam gubernationem, ad privandum subditos honorificis officiis, & ascensu ad ea, cum non tanto impetu lapis feratur ad centrum, quanto humana fragilitas hæc apperit. Tandem quia forus contentiosus, & conscientiæ longe diversi sunt, atque ita egregie *D. Th.* 4. *d.* 21. *q.* 3. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 3. quem sequitur *Sylv. Confessio* 3. *q.* 14. ait non esse adhibendum remedium peccatis, nisi eo modo, quo deferuntur, & proinde sis debitis in foro conscientiæ, in eodem foro adhibendam esse: ergo non poterit uti confessor scientia fori interni extra illum forum.

Quid dicendum in re tam dubia? Pro priori enim sententia militant auctoritates tot, tantorumque virorum, & fortissimæ rationes, quibus fulcitur: quare negare non potest esse probabilissimam. Verum mihi multo magis semper placuit, & modo placet posterior sententia, quæ non pœnitendis innititur fundamentis, quamvis auctorum testimonio, ac numero destituta sit: at si eo quod matr. favorabile est, magis credendum est uni Doctori in favorem illius sentienti, quam multis contrarium opinantibus, (ut probavi lib. 1. disp. 18. n. 7.) fortiori ratione id tribuendum est sacramento pœnitentiæ, & ejus sigillo, ut major fides adhibeatur duobus Doctoribus, quos retuli pro secunda sententia, sentientibus in sigilli favorem, quam multis pro prima allegatis, contrarium opinantibus: favorabilius enim est sacramentum pœnitentiæ, matrimonio: nam hoc est voluntarium, in eo quod bonum prolis temporale vertitur, illud autem est necessarium, & in eo agitur de æterna animæ salute, & ne ab unico hoc remedio Christiani in peccatum lethale lapsi, retrahantur. Est tamen fano modo intelligenda hæc posterior sententia; non enim tenetur confessor in omnibus perinde se habere, ac si nil sciret, sed in his solum, in quibus esset confusio, & pudor

& pudor pœnitentis: quia ejus honori, aut personæ in aliquo præjudicatur, aut non ita bene consulitur, si posset confessor uti notitia confessionis. Verbi gratia, si novi in confessione, Petrum parare insidias, ut me necet, possum non exire domo, quamvis alias exiturus essem: in hoc enim quamvis Petrus intelligat id oriri ex scientia suæ confessionis, nullo pudore suffundetur, nec aliquod detrimentum patietur, nec rationabiliter ob id retrahentur homines a confessione: verum nullo modo licebit, ob indignitatem in confessione cognitam, removere ab officio ad nutum amovibili, vel negare Eucharistiam, aut Ordines, aut beneficium, aut suffragium, quamvis hæc volantaria sint: quia inde confundetur pœnitens, & retrahetur a confessione: hæc enim sunt exprobratio quædam, & virtualis objectio peccati directi in confessione: & ita *Armilla v. Confessor. n.* 7. quem allegavi n. præced. pro hac sent. non dicit absolute, nihil posse agere confessorem motum ex confessionis notitia: sed nihil posse agere, ob quod pœnitens possit a confessione retrahi: atque ita fatetur *ibid. n.* 12. sacerdotem per confessionem conscium conspirationis in sui ipsius necem in aliquo loco, posse occasione aliunde sumpta illinc recedere.

5 Ad arg. proposita n. 2. resp. Ad 1. dic, cum textum non intelligi de confessione sacramentali, ut notat *ibi gl. v. Sibi scilicet*: & constat ex initio textus, ubi Episcopus affirmat reum fassum esse sibi crimen: quod si intelligeretur de sacramentali confessione, esset aperta sigilli revelatio. Ad 2. dic confessionem non tollere jus pristinum, quod Confessor habebat, eo pacto quo habebat: cogere tamen, ne ex auditis in confessione aliquo modo ducatur ad opus aliquod, ex quo confusio, vel damnum sequatur pœnitenti: sicut qui noverat aliquid extra confessionem, & postea in confessione audit, non amittit jus pristinum illud manifestandi, arctatur tamen confessionis sigillo, ne alio modo propaleat ratione confessionis notitiæ, quam antea sciverat. Ad 1. confir. constat ex proxima solutione. Ad 2. confir. dic ante auditam confessionem, nullam esse causam, ut conqueri possit penitens: ea tamen audita, si habeat probabilem conjecturam id oriri ex confessione, justam habere causam: quod enim fassus est sacerdoti ut Deo, si exprobratur, & virtualiter objicitur, cedit in externum detrimentum in alio foro: si vero hujus non habeat probabilem conjecturam, immerito conqueri: cum enim ex alia causa, aut ex libera voluntate posset sacerdos duci, levis ac temeraria suspicio est absque probabili conjectura. Quamvis autem Confessor prudenter caveat, ne pœnitenti ansam tribuat suspicandi se ex confessione duci, adhuc sigillum offenditur: satis enim est, ne libere, & simpliciter audeant homines fateri, si norint Confessorem posse prædicta cautela adhibita, confessionis notitia uti. Ad 3. confir. nego sequi: jus enim pristinum utendi sua libertate non tollitur sacerdoti, sed solum ne confessionis scientia ducatur. Ad 3. principale, nego tantum teneri ad non revelandum proprie: quia tenetur etiam non loqui cum ipso pœnitente, extra confessionem de auditis in ea, cum tamen id non sit proprie detegere confessionem, sed tenetur etiam vitare omne id, per quod aliquo modo sigillum offenditur, & retrahentur homines a confessione, efficieturque odiosa. Ad 4. dic in neutro casu sequi confusionem pœnitenti, nec ejus honori præjudicari, aut bono alicui temporali, quod homines æstimant; & esse hujusmodi casus metaphysicos, qui moraliter nunquam accidunt. Quare licet admittamus posse Confessorem uti confessionis scientia in iis casibus, ut sibi consulat: nullo modo reddi confessionem odiosam, nec fore, ut ideo ab illa peccatores retrahantur: & proinde salvam, & illæsam manere secundam sententiam, eo modo, quo a nobis explicata est. Ad 5. fateor illam scientiam esse aliquo modo humanam, & ita posse Confessorem illa uti, quando est sine aliqua pœnitentis injuria: irrogatur tamen ei maxima, non eo quod negetur res indebita, sed ratione modi negandi, quia infidelis est Confessor, dum res sibi commissas sub confessionis sigillo ad cum forum occultum, virtualiter exprobrat, & objicit penitenti, ac in ejus temporale damnum convertit. Et hoc nocumentum magni momenti est, quia retrahet homines a confessione, & valde odiosam eam reddet; nec sacerdos utitur jure suo, dum ob audita in confessione negat; & hoc non provenit ex solo pœnitentis discursu; sed etiam ex sacerdotis actione, quando ejusmodi circumstantiæ concurrent, ut merito posset id suspicari penitens; & quando non posset id suspicari, satis est nosse, posse inde provenire, idque sacerdotibus licere, ut homines odiosam habeant confessionem, & ab illa retrahantur. Ad ultimum nego eam esse causam, sed causa est, ut arceantur subditi ab iis peccatis videntes difficiliorem esse absolutionem, & quia præsumitur prælatos esse prudentiores, & fore ut melius consulant saluti gregis sibi commissi, in eo foro sacramentali.

QUÆSTIO II. An retenta priori opinione relata n. 2. licere sacerdoti, uti scientia confessionis, teneatur ea uti, & negare suffragium, ordines, & cætera, indigno noto per confessionem, casu quo teneretur, si extra confessionem conscius esset indignitatis illius? Quidam aiunt teneri, quia si est parochus, suo officio adstringitur, si vero sit alius sacerdos, præcepto correctionis fraternæ, quod obligat impedire proximi peccatum, & sacrilegam receptionem Eucharistiæ, ordinum, injustam beneficii receptionem, quando licet, & commode impediri potest: ergo eum in hoc casu posit licite, & commode, tenetur: Ita docent *Adria. q. 5. de confes. post dub. 9. paulo ante dubium quod incipit, ex diffis emergit aliud dubium, vers. Ad tertium principale nego consequentiam, fol. 297. in parvis voluminib. col. 1. Nav. c. Sacerdos, de pœnit. d. 6. n. 146.* & additur *n.* 147. hunc eligere indignum per confessionem cognitum, incurrere pœnas juris statutas contra eligentes, indignum *Suar. de Euchar. q. 80. ar. 6. disp. 67. sect. 3.* Idem videntur docere alii DD. asserentes, sacerdotem non debere eligere indignum per confessionem non notum, aut debere negare Eucharistiam simili peccatori, quando absque sigilli injuria fieri potest. Hi sunt *Dra. Thom. 4. d. 9. q. un. ar. 5. q. 1. corp. & quodl. 5. art. 13. Alensis 4. p. q. 49. memb. 1. D. Bonav. 4. d. 21. in 2. p. ar. 2. q. 1. n. 60. ibi & Pal. q. 3. art. 3. n. 60. Duran. 4. d. 9. q. 5. Altisiodor. 4. part. sum. tr. 6. cap. 3. q. 4. D. Anton. 3. p. t. 17. cap. 22. §. 1. Victoria sum. de Euchar. num. 80. sub. Sotus de secreto, memb. 3. q. 4. concl. 5. dub. 1. vers. Pro decisione, Led. 1. p. 4. q. 21. ar. 6. dub. 3.* & ex jurisperitis, *Rebuff. c. Omnis, de pœnit. & remiss. super verb. Suscipiens reverenter, vers. Octavo non debet, & seq. fol. 572. Silv. Euchar. 3. q. 5. dist. 1. Tab. v. Communicare, q. 53. n. 59. Nav. sum. Hisp. & Latin. c. 21. n. 56. fin.* Addunque (& multo verius est) eligentem indignum sola confessione cognitum minime subjici pœnis juris in eligentes indignum impositis: cujus contrarium tenuit *Navar.* ut proxime retuli: hoc (inquiunt) addunt *Palud. D. Ant. Rebuff. ibid.*

Ceterum quamvis hæc sententia probabilis sit, mihi tamen 7
magis placet contraria, minime teneri, quamvis licite posset. Quia est medium valde difficile, & arduum, & gravissimo offendendi sigillum periculo expositum, quamvis enim speculative usus hujus scientiæ licitus esset, at practice magna prudentia, & cautela opus est, & tot requiruntur circumstantiæ (ut fatentur DD. asserentes esse licitum) ut vix fas sit ea scientia uti: ergo quamvis id possit sacerdos facere, non tamen ad id tenetur: non enim commode potest, sed magna cum difficultate. Sicut qui vovit castitatem, & duxit uxorem, potest implere votum ingrediens religionem ante consummationem: non tamen ad id tenetur, juxta recepiorem sententiam, quia medium arduum, & perdifficile est. 2. Quia Christus Dominus instituit hoc Sacramentum, ad medendum peccatori in eo foro interno confessionis, ergo transgredi limites institutionis est obligare confessorem ex ea notitia occultissimi fori, mederi pœnitenti extra illum forum. Tandem, quia præcepta moralia, & ordinata ad fines naturalis ordinis, debent habere media ejusmodi ordinis: cum finis, & media proportionari debeant, sed præceptum correctionis fraternæ, est morale, & naturalis ordinis, ergo scientia peccati proximi requisita, ut id præceptum obliget, debet esse naturalis, nec debet ad id ordinari scientia in Sacramento, quod supernaturalis ordinis est, acquisita. Ita tenent *D. Th. 4. d. 21. q. 3. ar. 1. quæstiunc. 1. ad 3. Palud. 4. d. 18. qu. 8. art. 1. n. 20. Silv. Confessio 3. q. 14. Lud. Lop. 2. par. instruct. de confessione, c. 96. q. 1.* Argumentum contrarium propositum n. 6. constat ex dictis, non enim obligat id præceptum medio tam difficili, & altioris ordinis.

QUÆSTIO III. Qualiter se debeat habere Ordinarius, vel 8
parochus, qui novit in confessione impedimentum dirimens matrimonium volentium contrahere? Confuse satis loquuntur DD. & varii sunt dicendi modi. I. est, debere parochum occulte monere contrahentes, quod si nolint desistere, nec posse suum ministerium negare, absque sigilli periculo, debere eos matrimonio conjungere: unde supponit hæc sententia debere, si absque periculo sigilli possit se eximere, aliis causis allegatis: quia tenetur ex officio impedire peccatum contrahentium. Sic *Alensis 4. p. q. 78. memb. 2. art. 1. ad 5. D. Bonav. 4. d. 21. in 2. part. art. 2. q. 1. num. 61. ad finem q. Altisiodorensis lib. 4. sum tr. 6. c. 3. q. 4. vers. Ad hoc est solutio, & seq. Driedo lib. 2. de lib. Christiana, cap. 7. fere init.* § *Aliud est scire, Palacios 4. n. 21. disp. 2. fol. 459. col. 1. vers. nam testim. parochi, Philiarchus de offic. sacerd. to. 1. p. 2. l. 2. c. 30. paulo ante 9. Quod si confess. Manuel 1. 1. sum. 2. edit. c. 217. concl. 6 n. 7.* Et ex jurisperitis, *Henricus c. Omnis, n. 49. de pœnit. & remiss. Ang. Confessio 8. n. 13. Silv. Confessio 3. q. 12. fine, Tab. v. Confessionis celatio, q. 4. num. 5. fine, Majolus lib. 3. de irregul. c. 25. n. 3.* § *Affinitas, fine.*

II. dicendi modus est, si publice petant volentes contrahere, 9
tenere parochum eos conjungere. Quia ob peccatum cognitum in occulto pœnitentiæ foro, nequit contrahentes privare jure, quod habent petendi matrimonium in foro Ecclesiæ, dum in eo latet impedimentum. Sic tenent *Adrian. 4. q. 5. de confess. post dub. 9. paulo antè dubium quod incipit, Ex diffis emergit aliud dubium, in fol. ad 3. in parvis vol. f. 297. col. 2. Sot. 4. d. 18. qu. 4. art. 5. post 1. concl. vers. Hinc fit*, limitans quando alias subterfugere nequit: *Nav. c. Sacerdos, n. 144. de pœnit. d. 6.* addens posse eos occulte monere: *F. Metin. l. 2. sum. c. 4. f. 267. col. 1.* Et in alio simili, nempe quando peccator sola confessione notus petit Eucharistiam; docent idem aliqui DD. asserentes si occulte petat, debere ei negari, secus si publice. Sic *D. Th. 4. d. 9. q. un. art. 5. quæstiun. 1. corp. Alensis 4. p. q. 49. memb. 1. Victor. sum. de Euchar. n. 80. fin. Led. 2. p. 4. q. 21. art. 6. dub. 3. Suar. de Euch. q. 80. art. 6. disp. 67. sect. 3. Bart. a Led. de Euch. dub. 23. concl. 3.*

III. dicendi modus est, absolute non debere abstinere pa- 10
rochum a tali matrimonio ministrando. Quia notitia confessionis jus minime tribuit in alio foro. Sic *Metina tr. 2. de confessione, q. De his quæ a Confessore celanda sunt, vers. Sequitur amplius, si duo volunt.* Quod idem cum quadam moderatione sequitur *Enriq. lib. 6. de pœnit. c. 23. n. 3. fin.* ait enim, pastorem non posse negare matrimonium, quando jam sunt factæ monitiones: habent enim tunc contrahentes jus jam acquisitum: debere tamen negare licentiam faciendi monitiones.

IV. di-

11 IV. dicendi modus est, si minister non tenetur ex officio, quia non est proprius parochus, quamvis licentiam habeat a proprio parocho assistendi matrimonio, posse negare. Cum enim sit voluntarius minister, potest, & debet jure suo uti negando assistentiam, ut vitet proximi peccatum: si vero tenetur ex officio, non posse negare sacramenta etiam occulte petita, quamvis cesset periculum fractionis sigilli. Quia scita in pœnitentiæ foro, non tribuunt jus negandi ministerium alias debitum. Sic *Palud. 4. d. 21. q. 3. ar. 3. n. 60.* & tenent in alio simili, nimirum quando peccator occultus per solam confessionem notus petit Eucharistiam, aliqui DD. ajunt enim occulte petenti non posse parochum tempore quo tenetur ministrare, denegare Eucharistiam: secus non parochum, vel parochum si petatur, quando non tenetur ministrare. Hi sunt *Palud. 4. d. 9. q. 4. art. 1. concl. 3. num. 6. D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 12.* § *2. Silv. Eucharistia 3. q. 5. dist. 1. Sotus, 4. d. 12. q. 1. ar. 6. vers. Si autem & seq. Navar. summ. Hisp. & Latin. cap. 21. n. 55. & 36. Palac. 4. dist. 9. disp. 12. concl. 3. & 5. Lud. Lop. 2. par. instr. cap. 76. de Eucharistia,* § *Porro illa, & seq. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. cap. 68. concl. 6. num. 6.* Discrepat tamen *Sotus, & Lud. Lopez*, ab aliis DD. in hoc, quod dicunt etiam parochum non posse negare Eucharistiam occulte petenti, noto peccatori per solam confessionem, licet petat extra Pascha, & mortis articulum, nisi tanta sit frequentia, ut vilipendium videatur: & quando non est parochus, limitant etiam *Sotus, Ludov. Lopez, & Manuel*, nisi is, qui non est parochus, publice alius ministraret Eucharistiam ex licentia parochi, aut privilegio, & inter ipsos accederet peccator notus per confessionem: non enim posset tunc eum expellere, quia esset nota, & suspicio peccati auditi in confessione.

12 V. dicendi modus est, si parochus, possitque se circa confessionis suspicionem eximere, eum probe facturum se eximendo: si vero nequit, teneri ministrare matrimonium: si autem parochus non sit, quamvis habeat licentiam ministrandi, debere se excusare. Sic *Sotus de secret. memb. 3. q. 4. post 5. concl. dub. 1. vers. Pro decisione, Corduba additionibus ad sundem locum Soti: Ledesf. 2. p. 4. q. 10. art. 5. dub. 4. Veracruz appendice ad speculum, circa art. 15. 1. par. ad fin. fol. 109.* Hi tamen DD. non distinguunt, an peccator ille publice petat matrimonium, an occulte, at distinguunt in alio simili quidam DD. & dicunt peccatori noto per confessionem petenti occulte Eucharistiam, posse etiam parochum negare: si vero publice petat, non posse parochum negare tempore, quo ministrare tenetur: secus si tunc non teneatur, vel non sit parochus. Sic *Durand. 4. dist. 21. q. 5 Adrian. quodl. 3. ar. vers. Pro responsione dico 1. in parvis voluminib. fol. 61. col. 1. Tabiena verb. Communicare, quæst. 53. n. 59.*

13 Hæc sunt, quæ in hac quæstione ex DD. colligere potui: verum omnes illi loquuntur consequenter ad sententiam, quam defendunt posse, scilicet, sacerdotem uti scientia confessionis ad gubernandos actus externos, & ea retenta opinione, placet præ aliis quintus dicendi modus relatus n. præced. nempe occulte petenti posse etiam parochum negare: quod etiam docent DD. allegati n. 9. pro secundo dicendi modo; publice autem petenti non posse parochum negare, secus alios sacerdotes, qui libere ex ipsius licentia ministrare possunt. Credo tamen, nec parochum, nec alios sacerdotes teneri negare, sive alter publice, sive occulte petat, juxta dicta n. 7 Hæc dicta sint retenta illa opinione, sequendo autem nostram, nimirum, non licere sacerdoti uti scientia confessionis ad externos actus extra confessionem, statuo sequentes conclusiones.

14 I. Conclusio sit, parochus, sive quicumque alius sacerdos habens licentiam assistendi matr. vel ministrandi quodcumque aliud sacramentum, nequit expellere peccatorem etiam occulte petentem, ob solum peccatum in confessione notum. Probat. quia (ut dixi n. 4.) non potest juvari ex confessionis scientia ad actus externos, quoties redderetur confessio odiosa, & retraherentur homines ab ipsa, quod eveniret, si nossent ob peccata in confessione audita posse illis negari Eucharistiam, matrimonium, aut alia sacramenta.

15 II. Conclusio, si talis peccator occulte petat, potest confessor ipsum secreto monere, ut desistat: ut fatentur universi DD. citati pro omnibus sententiis: & quamvis *Palud. dist. 421. q. 3. art. 3. num. 60.* & *D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 22.* § *1. vers. Item, quæ prælatus*, dicant semper posse pœnitentem occulte moneri a confessore: quia hoc non est confessionem detegere, dicendum tamen est id non licere, nisi prius obtenta licentia ab ipso pœnitente, vel intra confessionem. licet enim non sit propria sigilli fractio, offendittur tamen: quando extra confessionem firmo habetur de auditis in illa, cum ipsomet pœnitente, absque ipsius licentia (ut probavimus n. 3.) Et in propriis terminis eam admonitionem faciendam esse in confessione, docent *Ledesma 2. par. 4. q. 10. ar. 5. dub. 4.* § *Præterea, si provincialis, Bart. a Led. de pœnit. dub. 32. concl. 7.*

16 Ultima Conclusio, credo non teneri confessorem petere licentiam a penitente, ut eum moneat de peccato, quod vult admittere: sed tantum in confessione teneri eum monere, quia (ut tradunt *D. Thom. 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. Paludanus 4. dist. 18. quæst. 8. art. 1. n. 20. Silvest. Confessio 3. qu. 14.*) ex auditis in confessione non arctatur confessor ad aliquid faciendum, vel omittendum, vel remedium adhibendum extra illam. Ea enim notitia est ad solum penitentiæ forum. Præterea, quia multi pœnitentes ægre ferrent eam licentiam peti, ac peccati confessi memoriam refricari: vellent enim peccata omnino memoria excidisse.

DISPUTATIO XVII.

Utrum ita necessaria sit præsentia parochi, & testium in matrimonio: ut nullo eventu aliter contractum, validum sit?

SUMMARIUM.

Proponuntur casus, quibus posset aliquis existimare posse contrahi matrimonium absque parocho, & testibus, n. 1.
Quando prius est coram illis contractum, & reperitur nullum ob occultum impedimentum, remisse, 2.
Quid, in articulo mortis, ubi non est recursus ad parochum ponitur opinio affirmans, num. 3. Et ibi, ibidem in hæreticorum locis, & in novo orbe, ubi non est parochi copia, & dum tutores volunt indigno matrimonio collocare puellam.
Vera opinio contraria, num. 4. Et solvuntur argum. nu. 5. & ibi, simplex sacerdos non potest in mortis articulo assistere matrimonio.
Forma inducitur, ubi est decretum annullans, vel dicitur aliter fieri non posse, 4.
An ex Episcopi dispensatione liceat ob magnam necessitatem contrahere absque parocho, & testibus, n. 6. Et ibi, qui de uno dicit, de alio negare videtur.
Quid, si matrimonium publice contrahatur, scienti majori viciniæ parte, 7.
Quid, si contrahatur ab infidelibus subjectis principibus Christianis, inhabitantibusque in locis, ubi Tridentinum obligat, vel locis temporaliter Pontifici subjectis, 8.
Quid, si contrahentes ignorabant invincibiliter decretum Trid. proponuntur argumenta probantia valere matrimonium, 9.
Tunc non valet, num. 10. Et ibi, quando pœna annullationis liget ignorantes.
Solvuntur argumenta, num. 21. Et ibi, quando inhabilitas sit pœna.

EGIMUS de denuntiationibus præviis matrimonio, ut licite contrahatur: jam de præsentia, parochi, & testium necessario requisita ad ipsius valorem, agendum est: priusque hac disputatione, & sequenti disputandum est, an ea præsentia semper desideretur: deinceps de qualitatibus in parocho requisitis: deinde quis proprius parochus dicatur: mox de qualitate licentiæ per parochum alii facerdoti concessæ, & a quo concedi possit: tandem de qualitate præsentiæ parochi ipsorumque testium. VII. igitur casus excogitari possunt, in quibus aliquis existimare posset validum esse matrim. absque parocho, & testibus I. est, ubi prius coram illis contractum est, & reperitur nullum ob occultum impedimentum. II. In mortis articulo. III. Ex Episcopi dispensatione IV. Quando matr. publice contrahitur. V. Dum infideles inter se matr. ineunt, subjecti temporali jurisdictioni Ecclesiæ. VI. Dum contrahentes absque parocho, & testibus invincibiliter ignorabant decretum Trid. Ultimus, quando contrahitur matrim. in locis, ubi Tridentinum non obligat, vel quia non est receptum, vel quia non est legitime publicatum: ut dum Christiani captivi apud infideles contrahunt matrim. & hoc sive contrahatur ab incolis, in eo, vel in alio loco, per quem transeunt, ubi obligat: sive a transeuntibus per locum, ubi non obligat. De 6. igitur prioribus casibus præsenti disp. agendum est, de ultimo autem disp. seq.

In 1. casu, quando matrimonium semel legitime contractum est, & invenitur nullum ob occultum impedimentum, quid dicendum sit, late disputavi lib. 1. disp. 37.

In 2. casu, quando contrahere volens, est in mortis articulo, 3
valdeque necessarium esset matrim. nec esset parochi copia: videtur non esse necessarium servare hanc formam. Primo, quia leges divinæ recipiunt interpretationem ex bono, & æquo, & ex epicheja, ut quæ pro tuenda charitate inducta sunt, ipsi non adversentur: sicut *Jo.* 1. habetur neminem absque baptismo salvari posse, & tamen deficiente ministri, vel aquæ copia, satis esset baptismi votum: ergo a fortiori leges humanæ recipiunt eamdem epichejam: sed in hoc casu matr. absque parocho, & testibus initum, esset nullum, adversaretur charitati, quia proles per matr. illud legitimanda, destituta maneret, & sæpe morti proximi valde affecti erga concubinam, salus spiritualis periclitaretur non contracto matr. quo huic pravæ affectioni consulitur: ergo decretum Trident. obligans coram parocho, & testibus contrahere, ex æquitate, & epicheja censendum est in hoc eventu minime astringere. Et confir. quia quoties casus eventi iis vestitus circumstantiis, quibus non ita expresse decisus est, attendendum est quid in eo casu legislator consultus responderet, idque sequendum est: ut communiter tradunt Theologi, 1. 2. *q. 96. art. 6.* Pontifex autem de hac extrema necessitate consultus, absque dubio responderet posse in ea absque parocho, & testibus contrahi: ergo 2. quia præceptum Ecclesiasticum non obligat eo rigore, ut in magna necessitate non liceat convenire, ut constat, in præcepto Missæ, jejunii, abstinentiæ a carnibus: præceptum autem hoc contrahendi matrim. coram parocho, & testibus, Ecclesiasticum est, per Concilium Trid. injunctum: ergo. Et confir. quia *Trid. sess. 24. cap. 1. de matr.* simul jubet præmitti denunciationes, & contrahi coram parocho, & testibus,